Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uotus. et sic alios ipse monebat. Crebra siquidem experientia persuasus. de omni re magis fidens orationi quam industrie proprie uel labori. Magnanimus in fide. longanimis in spe. perfectus in caritate. summus in humilitate. precipuus in pietate. In consiliis prouidus. in negotiis efficax. numquam tamen minus quam in otio occiosus. iocundus inter obprobria. inter obsequia uerecundus. Suauis moribus. meritis sanctus. miraculis gloriosus. plenus denique uirtute et sapientia et gratia apud deum et homines. Cui sancte anime ad uitorium simile sortitus erat deus. et speciali preuentum benedictione corpus aptauerat. Apparebat in carne eius gratia quedam spiritualis potius quam carnalis. in uultu claritas prefulgebat. non terrena utique sed celestis. in oculis angelica quedam puritas. et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulcritudo ut euidentibus quibusdam indiciis foras erumperet. et de cumulo interne puritatis et gratie copiose perfusus homo quoque exterior uideretur. Corpus omne tenuissimum et sine carnibus erat. ipsa quoque subtilissima cutis. in genis modice rubens. Illo nimirum quicquid caloris inerat naturalis. assidua meditatione et studium compunctionis attraxerat. Cesaries ex flauo colorabatur et candido. barba subrufa. circa finem uite eius respersa canis. Statura mediocritatis honeste. longitudini tamen uicinior apparebat. Alias autem thesaurus iste in uase fictili erat. contrito penitus et undique conquassato. Laborabat siquidem caro eius multiplicibus infirmitatum incommodis. ut in eis uirtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu artissimi gutturis nil penitus siccum uix solidum aliquid admittentis. molestior erat defectus stomachi. uiscerumque corruptio. Hec continue preter alias sepius incedentes. Sunt-